

2. Syllog. ex §. 5. 6. 7. & 8.

Cujus rei certos & infallibiles testes habemus, eam ipsam quoque certam & indubitam esse oportet.

Atqui Resurrectionis Christi certos & infallibiles testes habemus. (videl. (1) Ipsum Christum Dei Filium, qui veritas ipsa est Ioh. 14, 6. (2) S. Angelos (3) Homines partim amicos, partim inimicos Christi.)

E. Resurrectionem Christi ipsam quoque certam & indubitam esse oportet.

3. Syllog. ex §. 9. 10. 11. 12. 13. & 14.

Quicumque verè antea mortuus ac sepultus est, se tamen post corpore suo proprio videndum, contrectandum, aliisque certò viventis signis, ut sunt: edere, loqui, & similia. Vivum præbuit, is verè à mortuis iterum resuscitatus est.

Atqui Christus verè antea mortuus ac sepultus est, se tamen post corpore suo proprio videndum, contrectandum, aliisque certò viventis signis, ut sunt edere, loqui & similia. Vivum præbuit.

E. Christus verè à mortuis iterum resuscitatus est.

4. Syllog. ex §. 15.

In quo tota nostra salus & Redemptio unicè acquiescit, illud sanè non negandum, sed firmitè credendum & asserendum est.

Atqui